



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Amator pacis existit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

ximus , confessione , sacram Eucharistiam <sup>Prima Cō-</sup>  
 sumpsit è manibus eiusdem Religiosi sui Mo-<sup>muniō quā-</sup>  
 deratoris , qui Ioannem in eâ sanctissimi epu-<sup>tā ab eo cu-</sup>  
 li sumptione affirmat adhibuisse interiorem <sup>rā sensuq;</sup>  
 quamdam animi collectionem , externam-<sup>pietatis</sup>  
 que compositionem planè singularem , atque  
 etiam spirasse quid nescio maius augustius-  
 que humano . Et iam inde cœpit continenter <sup>Consuetu-</sup>  
 expiare sese octonis quibusque diebus ; quin-<sup>do frequen-</sup>  
 denis autem , festisque Christi ac Virginis <sup>tiūs confi-</sup>  
 Matris , animum præterea cælesti pabulo re-<sup>tendi &</sup>  
 creare . Illud etiam constanter tenebat , vt <sup>communi-</sup>  
 quoties Communione reficeret sese , prīus Su-<sup>candi.</sup>  
 periorem suum culparum veniam oraret ,  
 quotidieque temporis aliquid impenderet  
 confessioni proximè instituendæ . Enitebat in <sup>Maturitas</sup>  
 puerili illâ ætate senilis quædam maturitas <sup>puero ferè</sup>  
 actionum , puero ferè immatura : tantaque <sup>immatura.</sup>  
 erat sermonis parcitas , vt non nisi interroga-  
 tus responderet , ac tum quoque præfinitò .

Præbitione dramaticâ , quâ Susannæ castitas <sup>Personas</sup>  
 edebatur , Ioannes Danielem venustissimâ <sup>geredi gra-</sup>  
 concinnitate gessit ; aliasque sæpè magno <sup>tia in Dra-</sup>  
 Auditorum plausu atque admiratione reci-<sup>mate.</sup>  
 tauit . Pacem colebat tam sanctè , vt num- <sup>Amator</sup>  
 quam cum aliquo contendere sit auditus : si pacis .  
 verò quâ in domo ( vt solet leuior pluma  
 apud pueros esse gratia ) sodales suos audisset  
 cum aliquo rixam simultatemye suscepisse ,

*Sociorum  
in Ioannem  
amor &  
veneratio.*

*Religio  
singularis.*

*Observan-  
tia erga  
Ordinem  
Sacerdo-  
tum.*

*Libros su-  
per mensam  
adhibet a-  
uiditate  
studiorum.*

ab eorum protinus societate discedebat. A socijs autem ( qui eum in sinu gerebant ) non solum diligebatur, verum etiam in tantâ habebatur veneratione, vt ab eo se moneri regique perinde permetterent, ac si summam in eos auctoritatem obtinuisset. Tantum potest polletque virtus, vbi ad plurium existimationem dimanauit. Magno sensu concionantes audiebat, & sacrificantibus ministrabat, rafamque in vertice coronam, quamuis plerisque Clericorum neglectam, solus fere gerebat. Pallij sui collare, cum erectum stare imitatione Sacerdotum eius temporis voluisset; socius admonuit, vt replicando deprimeret: ille subridens, rem medianam atque indifferenter esse respondit. Sacerdotibus numquam adstabat capite opero. Et quoniam Religiosus ille Rector aderat contubernalibus perpetuo ad mensam & focum, ipse numquam, vt caput operiret, poterat adduci; vixque vel ob hiemis asperitatem, tegentibus licet alijs, vel à Superiore iussus, tegebat. Honorem obseruantiamque tantam aduersus sanctissimum Sacerdotum Ordinem adhibebat. Quamdiu paternâ in domo pueritiam egit, non tempravit sibi, quin liber semper aliquis super mensâ ad legendum esset præstò. Inter contubernales, dum accumberent, agebat anagnosten, delectabaturque maxime aut legendis Pro-